ALOYSII VALENTI

AB INTIMO PONTIFICIO CUBICULO

IN FUNERE JOANNIS V.

LUSITANIAE REGIS FIDELISSIMI

ORATIO


HABITA IN SACELLO QUIRINALI IV. ID. NOV.

CORAM

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.



ROMAE

ANNO JUBILAEI MDCCL.

EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI

SUPERIORUM FACULTATE.

10 bis
Digitized by Google

Digitized by Google

JOSEPHO
LUSITANORUM ATQUE ALGARBIORUM
REGI FIDELISSIMO.

ALOYSIUS VALENTI
D. N. M. Q. E.

MALE ſane ageretur cum praeclariſſimis viris, ſi, ut patrimonium, ita omni patrimonio praeſtantiorem gloriam rerum geſtarum filiis relinquere

Digitized by Google

ſuis non poſſent. Carerent enim fructu laborum ſuorum, qui a parentibus in ornandis liberis propter quendam naturae ſenſum maximus omnium ſuaviſſimuſque percipitur. Sed manat ad poſteros paterni ſplendor nominis, manant exempla, & quaſi ſemina virtutum; neque Tu, JOSEPHE Rex, a Patre tuo ſolum Regni iſtius florentiſſimi, ſed ampliſſimae gloriae haereditatem accepiſti, quam per Te ipſum quotidie fieri auctiorem Luſitani jam ſentiunt, & longinqui audiunt atque obſtupeſcunt. Quapropter laudationem funebrem JOANNIS V. Regis, clariſſimi Patris tui, dudum a me coram Pontifice Maximo, Eminentiſſimiſque Patribus habitam, dum in Pontificio Sacello ſolemne eidem funus fieret, & nunc in manus hominum prodeuntem ad Majeſtatem tuam cum defero, illud defero, quod, vel ſine hac nuncupatione

tione mea, ad Te unum, quodam veluti haereditario jure pertinere videatur. Habes in eadem oratione non illas quidem pro dignitate expreſſas, ſed leviter adumbratas laudes unius Religionis, quæ tanta in Patre tuo ac tam mirabilis fuit, ut, non qui eam praedicet, aſſentator, ſed qui non magnopere praedicet, aut impius, aut malevolus exiſtimari poſſit. Fuerunt in eo permulta alia virtutum ornamenta digniſſima ſane quae commendentur memoriæ hominum ſempiternae. Quis enim ſingularem ejus in explicandis negotiis prudentiam? Quis in privatis moderationem, in publicis ſplendorem? Quis in Belli Paciſque artibus exploratam ingenii ſolertiam? Quis aequitatem, ac ſapientiam incredibilem ignorat? Cui inaudita eſt magnitudo quaedam, & quaſi animi exaggeratio, a qua nihil humile, nihil obſcurum, nihil non amplum atque

 excel-

Digitized by Google

excelſum proficiſcebatur? Sed hujuſmodi rerum commemoratio multiplex & copioſa non erat illius nec temporis nec loci. Quanquam ſi recte judicare velimus ab uno illo laudis genere, quod totam rapuit, & quodammodo abſorbuit orationem meam, reliquae illius laudes omnes profluxerunt; neque Chriſtiano Principi, hoc praeſertim tempore, niſi tuendae atque exornandae Religionis alius eſt curſus ad Gloriam.

Caetera enim habent fortaſſe quandam ſpeciem gloriae vulgi opinione excitatam; at veram, ſolidam, ſempiternam gloriam non habent. Hoc tu idem ſentis & praeſtas, JOSEPHE Rex, egregius imitator Patris, Majorumque tuorum. Perlatum eſt enim ad nos, atque in ore & ſermone omnium percrebuit, quam praeclara regnandi initia, & fundamenta poſueris, unde maxime ad domeſticam gloriam cumulandam niteris.

Digitized by Google

ris . Sed illa praeſertim mirum in modum celebratur tua ſingularis adverſus omnes humanitas, ac pene incredibilis clementia, qua ego fretus id, quodcunque eſt, operae, ac lucubrationis meae Auguſto Majeſtatis tuae nomini conſecrare non dubitavi. Hoc igitur ſumma abs Te obſervantia ſummiſque precibus peto, ut hanc Orationem, qualiſcunque ea tandem eſt, & me ipſum, tua illuſtri ac regia clientela ampliſſimoque patrocinio non indignum exiſtimes. Quod ſi aſſequar, ut benignitas mihi tua pollicetur, ſatis magnum videbor cepiſſe fructum laboris ac induſtriae meae.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſt. Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Arch. Tharſ. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

NEMINI video eſſe dubium , BEATISSIME PATER , quin antiquiſſima conſuetudo laudandi Chriſtianos Reges , dum haec illis juſta funeris perſolvuntur , aptum quoddam orationis genus deſideret , non illud quidem profano cultu exornatum , & in quaſcunque laudes diffuſum , ſed grave , ſincerum , plenum religionis , plenum veritatis , atque ejuſmodi , ut ab hac tanta loci , temporis , perſonarum dignitate atque amplitudine non abhorreat . Dicendum eſt enim ex hoc loco omnium ad agendum ſanctiſſimo , & prope Aram ipſius Dei , cui eodem tempore maxima caeremonia Sacrum fit pro ſalute illius ſempiterna , de quo ſermo eſt ; & apud Te dicendum , BEATISSIME PATER , qui haberis Divinae inter homines veritatis caput atque fons ; & in hoc conſeſſu Patrum ampliſſimorum , qui momenta officiorum omnium non populari ratione , ſed Evangelii , rectiſſima quaſi trutina , expendunt . Quare opum ſplendor , generis antiquitas , potentia dominatus , Imperii propagatio , inſtructi exercitus , ornatae claſſes , praelia , victoriae , triumphi , hae laudes , quaecunque ſunt , quae certe cum barbaris Prin-

Digitized by Google

cipibus atque a noſtrae religionis gravitate abhorrentibus communes ſunt, dominentur in concione multitudinis imperitae, valeant ad famam atque admirationem vulgi; at in Chriſtiano Rege collaudando tacitae praetereantur, neque in hoc religionis, & ſapientiae ſacrarium admittantur. Quicquid pie, ſancte, religioſe geſtum eſt, id unum commemorandum ex hoc loco, atque ita commemorandum, non ut vana quaedam laudum oſtentatio, ſed ut Chriſtianae ſpei ſolatium optimum veriſſimumque habeat. At in quo nam hujuſmodi praedicationis argumentum opportunius eſſe poteſt, quam in JOANNE V. Luſitanorum atque Algarbiorum Rege Fideliſſimo; cui, tanto Reipublicae malo dudum erepto, ampliſſimum hodierno die, magniſque & immortalibus illius erga Romanam Eccleſiam meritis debitum funus perſolvitur? Mihi quidem totam ejus vitae rationem animo complectenti, ac multis praeclariſque rebus cognitam & ſpectatam ejuſdem religionem conſideranti apte in eum cadere videntur, quae pium olim Iſraelitarum Ducem Nehemiam vere de ſe praedicaſſe, divinis litteris traditum eſt. Hoc enim a Deo fidenter prolixeque precabatur, ut ne obliviſceretur, ſed meminiſſet in bonum, quicquid in domo Domini, & caeremoniis ejus, & in ordine Sacerdotali, & Levitico ſancte accurateque fecerat. Videtis jam, ut arbitror, quam bene ad excitandam ſpem & pietatem veſtram hae laudes tanto Regi conveniant, quem domus Dei inſtauratorem, quem cuſtodem caeremoniarum, quem Ordinis Sacerdotalis defenſorem & amplificatorem veriſſime poſſumus appellare. Atque utinam quantum huic loco, tempori, perſonis accommodatum

eſt

eſt orationis meae argumentum, tantum digna eſſet argumento oratio, digna Chriſtiani Regis veriſſimis laudibus, digna auribus veſtris!

Etſi Religio, quae pio caſtoque praepotentis Dei cultu continetur, una ſit eademque univerſorum; tamen ſi externam ejus quaſi formam & ſpeciem conſideremus, facile quidem certe intelligemus, non eandem in privatis hominibus atque in magnis Principibus eſſe oportere. In illis enim latere quodammodo atque ad obſcurum & tacitum quendam animi cultum referri unice poteſt; at in his, qui in excelſo loco poſiti ad reliquorum exemplum diligentius obſervantur, prodeat in publicum neceſſe eſt, majoremque ſplendorem obtineat dignitatis ſuae. Quare cum de JOANNIS Religione diſputo, illam dico, quae ſplendida, quae magnifica, quae vere regia dici poteſt. Atque illud etiam contendo, nunquam hanc potuiſſe talem ac tantam exiſtere, niſi altioribus quibuſdam ſolidae atque intimae pietatis radicibus niteretur; praeſertim cum nihil fictum, nihil ſimulatum cum omnibus in rebus, tum maxime in Religione poſſit eſſe diuturnum. At quartus annus eſt & quadrageſimus, ex quo tempore JOANNES regnavit, atque ita regnavit, ut jam non ſua, ſed unius Religionis cauſſa regnaſſe videatur. Quid enim univerſo hoc tempore omnis ejus actio, ratio, cogitatio, tota denique vita fuit aliud, quam conſtans, perpetua, illuſtris exornandae Religionis voluntas? In quo evigilaverunt curae illius magnae atque aſſiduae, quo divitias, opes, autoritatem regiam contulit, niſi ut magnificentiam Templorum, ſplendorem Caeremoniarum, Sacerdotum commoda atque autoritatem augeret?

Digitized by Google

Atque ut a Templis ornamentiſque Templorum incipiam, quam praeclara mihi, quam magnifica laudatio oſtenditur. Illud meminiſſe JOANNES videbatur, quod Rex poſt homines natos ſanctiſſimus David de nobili Hieroſolymitano Templo aedificando cogitans, ſecum olim locutus dicitur: Mene diverſari in domo lauta atque perampla? Mene habere veſtibula ornatiſſima, tecta laqueata, pavimenta marmorea, thalamos, porticus, hortos, plena elegantiae ac dignitatis omnia; Arcam vero Domini relinqui in ſordibus obſcuri atque anguſti loci? Indigna ſane res, neque ullo modo ferenda. Quicquid mihi regalis eſt opulentiae, quicquid auri, argenti, divitiarum, totum hoc, quodcunque eſt, quod a ſummo bonorum omnium largitore Deo eſt, id ego ad aedificandum Templum illius ſanctum atque auguſtum deferam. Id cogitavit David; atque hoc idem JOANNES Rex & cogitavit, & fecit. Dici non poteſt, quot ille Templa reſarcienda, adornanda, e fundamentis extruenda atque aedificanda curaverit. Quae Provinciae ſunt, quae Oppida, quae Civitates non in Luſitania ſolum, ſed in extremis Indiarum Regnis (quae in Luſitanorum Regum poteſtate ac ditione ſunt) ubi non multa extent regiae illius munificentiae atque religionis veſtigia? Erant in latiſſimo Braſiliæ Regno novi quidam Epiſcopatus conſtituendi, maximo cum illorum Populorum commodo ac bono. Ille graviſſimus autor ad inſtituendam, diligentiſſimus hortator ad promovendam, liberaliſſimus adjutor ad rem perficiendam fuit. Ille Romani Pontificis in tam difficili negotio jus, autoritatemque imploravit. Ille Belamenſem, ille Mariannenſem, ille Sancti Pauli Epiſcopatus fundavit, per-

perhonorificis Epiſcopo cuique ſtipendiis ex Ærario regio attributis. Ille in ipſa Sancti Pauli Dioeceſi ſacram Ædem primariam a ſolo aedificavit. Ille Maphrae Templum, totum ex deſcriptione celeberrimi hujus, quod Romae Sancto Petro dicatum admiramur, poſuit, auxit, perfecit. Intelligitis permulta a me dici brevius, quam rerum magnitudo & copia poſtulare videatur. Sed veſtrae ſapientiae eſt, tacita cogitatione colligere, quid immenſa haec aedificatio Templorum valeat. Adde ampliſſima Sacerdotia: adde cenſum dotemque perpetuam: adde multam ſupellectilem atque omne genus ornamentorum.

Et ornamenta quidem plurima plurimique pretii quid ego hic commemorem? Completi ſunt adhuc oculi animique veſtri aſpectu jucundiſſimo rerum pulcherrimarum, quas Romae, in hoc ipſo magnificentiſſimo Religionis domicilio, infinito ſumtu, ad miram artis elegantiam fieri curavit. Vos Candelabra ex auro & argento affabre facta: vos Thuribula, Acerras, Lychnos penſiles, Calices, Cruces, & ſacrorum quicquid eſt Veſtimentorum mirabili opere atque ſplendore perfectum aſpexiſtis. Nam Sacellum illud marmoreum elegantiſſime conſtructum, antequam Roma in Luſitaniam uſque navibus deportaretur, nemo fuit quin cupide ſtudioſeque viſeret, neque tamen viſendo ſatiari poſſet. Opus ſane memorabile ac dignum tanto Rege, dignum ingenio Artificum Romanorum, atque illo maximo totius conventu ac plauſu Civitatis.

Neque vero ſplendidae hujus Religionis monumenta pauca illa aut rara, ſed innumerabilia & prope continua fuerunt, vix ut eorum iniri ratio atque

ad

Digitized by Google

ad nos pervenire memoria poſſit. Quae quidem tam multa tamque magna perfeciſſe, Luſitanae opulentiae; cogitaſſe autem ſingularis, ac omni laude digniſſimae Religionis fuit. An ſi tot tantaeque ex novo illo Orbe terrarum exportatae divitiae in Theatra, in Arcus, in Regales lautiores Ædes extruendas, ſi in venationes ſumtuoſas, ſi in exercitus, ſi in claſſes ad perniciem hominum comparandas abiiſſent; haberet JOANNES magnificentiae ſuae admiratores & praecones plurimos: quod autem Divino quodam conſilio, ac ſapientia praeditus ingentes theſauros non ambitioni, non avaritiae, ſed inſtrumenta praeſtiterit religioni atque virtuti, non erit multis veriſſimiſque laudibus condecorandus? At vero neque Conſtantinum illum magnum, neque Theodoſios, neque maximos Reges, ac Principes, quorum eſt litteris celebrata Religio, aliam ob cauſſam tanta in laude poſitos videmus, niſi quod munificentiam ſuam regiam ad cultum DEI OPT. MAX. augendum exornandumque tranſtulerunt. Erat, erat hoc piae liberalitatis decus ex antiquis annalium monumentis repetendum, niſi JOANNES Rex perfeciſſet, ut illud jam non memoria, ſed oculis prope noſtris contueremur.

Et quoniam perbelle accidit, ut Theodoſiorum mentionem facerem, quanta eſt JOANNI cum Juniore praeſertim Theodoſio in hoc laudis genere, & quam glorioſa ſimilitudo! Etenim alterum cum altero ſi conferamus, paria in utroque ornandae Eccleſiae ſtudia, parem in ſacris diligentiam, omnia denique religioſa utriuſque cogitata, conſilia, & facta prope eadem cognoſcemus.

Sed hoc eximium certe ac ſingulare; quod ſicut Theo-

Theodoſius Byzantinam Eccleſiam ad illum honoris gradum extulit, qui a Romano proxime abeſſet, ita JOANNES Ulyſſiponenſi Eccleſiae majora Patriarchalis inſignia dignitatis deferenda curavit. In quo tamen multo laudabilior JOANNES quam Theodoſius fuit. Quod enim Graecus Imperator, vix non prohibente, id Rex noſter optimus egit, non conſentiente ſolum, ſed honorificentiſſimum hac de re Diploma concedente Romano Pontifice, unde Eccleſiasticae quidquid eſt amplitudinis ac ſplendoris, dimanat. Itaque religionis gloriam debitae Chriſti Vicario obedientiae laude cumulavit. Quanquam haud ſcio, utrum Ulyſſiponenſis an Romanae Eccleſiae cauſſa glorioſum conſilium illud ſuſcepiſſe videri poſſit. Hoc ſcio, quod eſt utique veriſſimum, & nemini non cognitum atque perſpectum, flagraſſe hominem incredibili cupiditate hanc Orbis terrarum ſanctiſſimam pulcherrimamque Civitatem viſendi. Quod cum propter occupationem Regni non potuiſſet, haud falſo dixerim, voluiſſe illum (quod amatores ſolent deſiderio rerum cariſſimarum) in Ulyſſiponenſi ornatiſſima Eccleſia habere ſemper ob oculos poſitam Romanae hujus adumbratam imaginem, qua deſiderium ſuum levius toleraret.

Atque hinc profectum arbitror, nihil ut ſibi optatius, nihil jucundius accideret, quam ut ſuis in Templis ſacra omnia fierent, non ſolum ritu atque inſtituto, ſed apparatu ipſo & magnificentia Romanorum.

Jam vero quanta in ſanctiſſimis caeremoniis obeundis, & quam incredibili diligentia fuerit, etſi ad famam atque admirationem omnium manavit, tamen

men hoc loco ſilentio praeteriri non debet. Illa omittenda potius, quae in vulgari quadam & communi religionis laude poſita videntur. Fuiſſe neminem in adeundis Divinis Myſteriis majore aſſiduitate ac reverentia, diem fuiſſe nullum, quo die auguſtiſſimum atque immortale Sacrificium ad homines Deo conciliandos divinitus inſtitutum, praeſente ſe, fieri non curaverit. Haec, inquam, non praedicanda in tanto Principe, de cujus Religione video vos nova quaedam, incredibilia, inuſitata deſiderare. Sed quid magis inauditum, atque hac praeſertim aetate, quae ad intolerabile quoddam Divinarum rerum faſtidium delabitur, quid magis praeter conſuetudinem, quam ea autoritate, potentia, amplitudine Regem tantam habuiſſe peritiam caeremoniarum omnium, ut, ſi quid in iis vel diſſolute, vel negligenter admiſſum fuiſſet, ſtatim aſpectu ipſo & voce etiam atque imperio reprehenderet? Illuſtre ſane atque admirandum religionis exemplum quo viſa ſunt renovari heroica illa tempora, cum Reges qui erant, iidem & ſummi Sacerdotes eſſent. Quare nolite dubitare, quin in Luſitanis Templis ſacra quaeque fierent ita caſte, rite, pie, ſancte, auguſte, ut admonerentur homines magnam in illis vim, magnumque numen contineri.

Sed tantum JOANNIS in Divinis caeremoniis ſtudium diligentiamque dum laudo atque demiror, erunt fortaſſe qui improbent atque contemnant. Hoc praedicationis genere laudari Regem non ſolere: perparvi ac jejuni animi fuiſſe in tanta Regni procuratione levia haec & exigua conſectari. Quaſi vero aut in pio Rege collaudando non ego veritatem quaeram, ſed ſermonem famamque popularem; aut illa exigua

exigua videri poſſint, quibus Dei Optimi Maximi religio ſancta atque auguſta continetur. Sed in hujuſmodi genus hominum apte quadrat reſponſum illud, quo Rex David temeritatem conjugis fregit ſibi petulanter inſultantis, propterea quod in triumphali illo Arcae Domini ingreſſu laetitia elatus ſaltaviſſet. *Ante Dominum*, inquit, *qui elegit me potius, quam Patrem tuum, & quam omnem domum ejus, vilior fiam, quam factus ſum ...... & glorioſior apparebo*.

Poſſem eadem haec de JOANNE praedicare magnifice; ſed vos potius, vos, inquam, viri Luſitani appello: veſtram hic fidem imploro, atque ex vobis quaero, utrum JOANNIS religio valde diligens quicquam de publica regni adminiſtratione, ac felicitate detraxerit. Date vos praeclarum teſtimonium, qui pietate caeteros vicit, eum tamen in iis, quae ad officium boni Regis pertinent, nemini conceſſiſſe. Quin etiam vos intellexiſtis, ab una ipſa religione exiſtere atque effloreſcere juſtitiam, liberalitatem, comitatem, aliaſque virtutes effundentes ſeſe ad publicam utilitatem, & commune bonum. Ex hoc eodem fonte illa fluxerunt: patere faciles ad eundem aditus: liberas eſſe querimonias privatorum: nihil verbis, nihil re apertius oſtendere, quam ſibi omnium veſtrum ſalutem, liberos, famam, fortunas eſſe cariſſimas. Hinc mercaturae quaeſtuoſiores invectae: viae undique ſtratae: fluminum & Tagi praeſertim indocilis curſus ad publicam commoditatem deflexus: Gymnaſia undique patefacta: Academiae excitatae: Juvenes bona ſpe atque ingenio praediti alias in Urbes, quaſi ad mercaturam optimarum artium, regali impenſa miſſi, ac, non inanes cum rediiſſent, annuis ſtipendiis cohoneſtati:

ſtati : Puellae ingenuae , ne in turpi egeſtate conſeneſcerent , honeſtiſſime collocatae . Hinc in re domeſtica quaeſita laus continentiae, in publica dignitatis ; & praeſertim ſuis in Legatis quos ad Reges & Principes eo ſplendore, cultu, ac ornatu mittebat, ut Luſitani Imperii amplitudini , ac magnificentiae conveniret . Quae quidem liberalis ſpecies publicae majeſtatis poſita in oculis exterorum non habet inanem quandam oſtentationem, ſed recte intelligentium judicio habet gratiae plurimum, nec parum autoritatis. Hinc ſupplicum miſereri: benemerentibus cumulatiorem gratiam referre : animadvertere in malos & nocentes : fidei ſummam rationem habere : curare, nequis eorum, quibus ſuorum conſiliorum miniſtris utebatur, aut pretio, aut metu, aut gratia a bono & aequo deduceretur. Non finitimis moleſtum, non peregrinis inhoſpitalem eſſe , non plebem tanquam abjectiſſimam pecudem tractare duriter atque inhumaniter: nihil injuſte, nihil impie facere, nihil potentia non ferenda . Quae alia bene & feliciter regnandi ratio eſt, niſi haec eſt ? Nam quod foediſſimi illius belli flamma , qua totam fere Europam conflagraſſe vidimus , & vero etiam heu ſenſimus, ad vos non modo non pervaſerit , ſed ne aſpirarit quidem ; id ego non caſu , non natura loci , non inertia , ſed ratione , ſed conſilio, ſed rectiſſimo religionis ſenſu factum dico . Non enim ignoratis quot ille ampliſſimis praemiis, & proferendi Imperii pollicitationibus ad ſocietatem belli vocatus ſit . Cujus tamen fertur reſponſum illud omnium ſermone & fama celebratum : Quod regnum ſibi liberaliter conceſſiſſet Deus, iis eſſe finibus contentum : nolle ſe im-

immiſceri iis bellis, quae pro religione cum ſuſcepta non ſint, victoribus aeque ac victis accidunt calamitoſa. Praeclara vox magnae index moderationis animi, & Chriſtianae pietatis teſtis. An ſi ipſa per ſe Religio loqui poſſet, putatis vocem aliam miſſuram, quae magis ſanctiſſimae Chriſti diſciplinae atque inſtitutis conveniret? Quid ſi Religio armis dimicare jubeat, & ad bellum vocet pro Chriſtianae Reipublicae ſalute juſtum, neceſſarium, glorioſum? Adeſt prompto atque erecto animo JOANNES Rex, & memor dignitatis ſuae, memor rerum a Majoribus geſtarum, CLEMENTIS XI. tum maxime ad Chriſtianae Reipublicae defenſionem excubantis voci obtemperans, in tetro illo Corcyrenſi bello & periculoſo claſſem omnium inſtructiſſimam ornatiſſimamque ſubmittit. Cujus adventu Corcyram, noſtrae propugnaculum libertatis, obſidione ſolutam, Italiam vero & hanc Urbem ipſam periculo liberatam vidimus. Eadem hortante Religione, atque, ut ita dicam, canente claſſicum, arma ſuſcepit adverſus ejuſdem hoſtes teterrimos, & Goam pene labentem ab interitu vindicavit. Audiſtis jam Braſilienſes, audiſtis Tingitanos populos nefario adverſus Catholicam Fidem odio concitatos. Hos ille aut ita ſubegit, vix ut extent, aut ita domuit, ut quieſcant, aut ita pacavit, ut ſua (quid ſuam dico?) ut Religionis ipſius victoria laetentur. Haec trophaea ſunt Chriſtiani Principis omnium pulcherrima, quae vel ex hoc loco veriſſime collaudari & poſſunt & debent.

Veniant nunc nimiae JOANNIS religionis reprehenſores, & vel ipſi judicent, utrum e re magis publica ſit, habere Principem ſuperbia dominatus

ita

Digitized by Google

ita extollentem animos, ut Divina humanaque omnia contemnat, an ſanctiſſimis caeremoniis deditum, addictum, obſtrictum, & pie Regis Regum vim majeſtatemque pertimeſcentem. Quam volunt egregia atque inſignia documenta conquirant. Excutiant commentarios veterum ac recentiorum omnes, qui de optima regnandi ratione conſcripſerunt. Hanc eſſe civilis Prudentiae ſummam & caput, hanc veram, ſimplicem, & directam bene beateque regnandi viam invenient, ſi qui Reipublicae praeeſt maxime omnium Dei cultum & puram religionem tuendam ornandamque ſuſcipiat. Nam ſi qui ſunt in tanta opinionum pravitate, politici non re ſed nomine, qui publicum bonum a Religionis bono disjungunt, ii quidem fundamenta convellunt humanae ſocietatis, vitaeque communis; atque iidem etiam ſatis perſpicuo documento refelluntur JOANNIS Regis pii, & feliciſſimi; cujus diuturnum Regnum opibus firmum, divitiis opulentum, gloria amplum, virtute honeſtum qui videt, ſanctiſſimae religionis vim atque effectum videt. Etenim jam non vereor dicere, maximam ac ſingularem curam, in qua JOANNES verſatus eſt, Divinos ritus caeremoniaſque retinendi, mutua quadam ipſius Dei cura de illius Regni commodis ac tranquillitate fuiſſe remuneratam; praeſertim cum Deum propitium placatumque redderent continuae preces obſecrationeſque ſacerdotum, erga quos mira fuit Regis noſtri pietas atque reverentia.

Hoc enim tertium reliquum eſt, de quo breviſſime diſputem, & quod eſt, mea quidem opinione, maximum in maximis Regibus, germanae ac ſolidae pietatis argumentum. Nam quo alios homines reli-

Digitized by Google

religionis cauſſa verearis atque obſerves, comprimenda eſt immanis quaedam ſuperbia naturae, quae hominibus ineſſe ſolet, quanto vero magis iis, qui rerum omnium cum potiantur, ſeſe quaſi ſupra humanam conditionem poſitos timeri ab omnibus & coli vident. At JOANNES nihil de ſua potentia, nihil de majeſtate dominatus detractum exiſtimavit, ſi amplificaret dignitatem & commoda Miniſtrorum Dei, cui communem etiam Regibus conditionem ſerviendi non recuſabat. Neque audiendos unquam cenſuit qui ſacerdotum ordinem fere ſemper in invidiam vocant, quo impune & Chriſtianam pietatem convellant, & Rempublicam perturbent. At teſtes ſunt cujuſvis gradus ſacerdotes, quos ille maxime honoratos eſſe voluit. Teſtes religioſae cujuſque Familiae alumni, erga quod genus hominum ſunt in oculis, ſunt in auribus omnium regiae liberalitatis atque humanitatis monumenta.

At vero erga Romanum Pontificem, quem Religionis, & Sacrorum omnium Principem in terris divinitus conſtitutum intelligebat, quanta & quam non obſcura Regis veneratio fuerit, cum multis in rebus, tum maxime in excipiendo Legato Pontificio, qui ad Sinenſium uſque Regnum miſſus fuit, declaratum eſt. Cui cum omnia advenienti, & apud ſe commoranti honoris officia praeſtitiſſet, Navem praeterea bene ornatam dedit, qua iter pergens ſuum Legationem obiret cum dignitate. Sed quid ego de ſingulari hominis erga Romanum Pontificem voluntate, & obſervantia loquor Te coram, Te, inquam, BENEDICTE PONTIFEX, qui. ſi aliusquiſquam, potes unus omnium optimus & graviſſimus eſſe teſtis? Te enim tanquam verum Parentem ſuum dilexit unice,

Te

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Te coluit impenſe, Te praecipuo quodam amicitiae genere complexus eſt. Tuam ille ſemper voluntatem pro lege, pro mandatis conſilia, decreta pro oraculis excepit. Poſſem ego permultos nominare, in quos homines licet peregrinos beneficentiam ſuam Regiam contulit, non alio nomine quam vel leviſſimae commendationis tuae. Quid? quod eam praecipuam curam ſuſcipere viſus eſt, ut perinde ac ipſe, ita nemo Princeps non eſſet erga Te optime animatus, quo mutua illa & ad Chriſtianae Reipublicae felicitatem neceſſaria Sacerdotii & Imperii conjunctio nulla unquam re labefactari convellique poſſet. Id ut perficeret nullam operam, laborem, diligentiamque recuſavit. Nam ſi quid tale incideret vel obſcurum, vel ſuſpicioſum, quod offenſionem afferre aliquam poſſet; ſtatim ille & ſponte ſua interponere ſeſe, mittere litteras diligentiſſime conſcriptas, mittere homines uſu rerum gerendarum & prudentia praeſtantiſſimos, qui evellerent initia diſſenſionum, ſpargerent ſemina concordiae; curare denique ut ſi qua emerſiſſet abalienati animi opinio, ea novo quodam majoris benevolentiae argumento obrueretur. Et miramur nulla amoris, nulla benignitatis officia ab amantiſſimo Patre erga obſequentem Filium poſſe proficiſci, quae non abs Te, PATER SANCTISSIME, erga optimum Regem profecta ſint? Hoc illi teſtantur Eccleſiaſtica eruditione ac doctrina libri tui ornatiſſimi, quos propterea ipſe Rex elegantius deſcribendos edendoſque curavit. Hoc illae declarant Epiſtolae tuae erga eum benevolentiae indices, & illa praeſertim pulcherrima, qua recens accuratiſſimum Martyrologium non alteri quam JOANNI

Regi

Regi inſcriptum voluiſti: ut quandiu monumentis ingenii tui habebitur honos, qui erit utique ſempiternus, tandiu celebretur mutua haec, atque illuſtris conjunctio animorum veſtrorum. Nam quid dicam de perhonorifica FIDELISSIMI appellatione qua illum Regum Luſitanorum omnium primum condecoraſti? Fuit hoc Tibi ſane jucundum, tanto Regi dare debitae laudis praemium, quod eſſet & ſummae illius erga Religionem fidei, & tuae erga illum voluntatis teſtimonium ſempiternum. Fuit JOANNI glorioſum a tam laudato Pontifice ea inſignia laudis accepiſſe, quae tantam praeferrent autoritatem, amoris ac judicii tui. Neque poſteris ipſis non erit valde utile ad imitationem exempli habere non tam generis & dignitatis quam multo praeclarius nomen religionis atque virtutis.

Sed me repente de hac tua erga tam pium Regem voluntate dicentem, & plura dicere parantem, in ipſo Orationis curſu reprimit ac perturbat dolor, quem ex interitu illius magnum accepiſti. Hem! Tuus ille benevolentia, ſtudio, obſervantia filius: Ille Luſitanorum non Rex ſed Parens: Ille ſanctiſſimae Religionis defenſor, cuſtos, amplificator egregius atque immortalis occidit. O triſtem ſane ac miſeram conditionem rerum humanarum! Sunt hae quidem juſtae dolendi cauſſae, at gaudendi aliae multo juſtiores. Et primum, quod alieno quidem Reipublicae ſemper, at certe opportuno ſibi atque optatiſſimo tempore exceſſit e vita. Scimus enim per decem ipſos dies, qui ſupremum illius praeceſſerunt, ad exercitia, quae ſpiritualia vocantur, tota mente incubuiſſe; ut bene omnino de eo ſperandum ſit, quem in meditatione ipſa

rerum

rerum divinarum beata mors interceperit. Quam ego mortis opportunitatem beneficii loco pono quo nullum majus homini dari poſſit a Deo; ſic ut ejuſdem interitus non lacrymis ſed gratulatione, non miſericordia ſed benevolentia proſequendus eſſe videatur.

Accedit ſolatium aliud doloris maximum, ſcilicet lectiſſima ſoboles, & JOSEPH praeſertim Luſitanorum atque Algarbiorum Rex Fideliſſimus, quo ſuperſtite, ac tam bonis auſpiciis capeſſente Rempublicam, non Luſitania Parentem ſuum, non Catholica Religio defenſorem ac vindicem, non Tu, BEATISSIME PATER, obſequentiſſimum Filium amiſiſti. Haec quidem omnia leniunt ac mitigant dolorem noſtrum, &, quod caput eſt, bene nos de ſempiterna illius ſalute ac felicitate ſperare jubent.

Quod ſi humanum aliquid ab eo alienum non fuit, ſi quid maculae ex hac contagione terrena contractum eſt, id omne ad eluendum expiandumque valeat apud miſericordiarum Deum commemoratio rerum pulcherrimarum, quas in Templis aedificandis atque exornandis, quas in Caeremoniis obeundis magnifice, ſplendide, pie, diligenter fecit. Valeant caſtiſſimae preces obſecrationeſque Sacerdotum, quorum ille dignitati mirabiliter favit, rationibus nunquam eſt adverſatus. Valeat praeſertim Sacrificium hoc ſolemne atque auguſtum, quod coram PONTIFICE MAXIMO, & in ſummorum Antiſtitum conſeſſu, loco & ad petendum & ad impetrandum aptiſſimo, fit pro ſalute illius, ut ipſe Deus Maximus atque Optimus, ſicut olim Nehemiae illi Judaeorum Duci religioſiſſimo, ita JOANNI vertat in bonum quae fecit in Domo & Caeremoniis ejus, & in Ordine Sacerdotali & Levitico.

FINIS.